



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quo corporis habitu orarit in templo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

nus suâ quoque Belgarum linguâ dicendi; atque oratiunculâ suâ absolutâ, neque confesum illum spectandi, neque alios post se oraturos audiendi cupiditate pellectus, vel momento restitit; sed quàm mox adito rogatoq; Viceministro num quid se vellet, aut suâ in purgandis aut eluendis culinæ lancibus operâ opus esset. Cùm non esse respondisset, ille in Templum protinus ad orandum se recepit.

Dominicis omnibus Festivisque diebus in Ædem se IESU conferebat audiendæ lectioni. Ingressus statim certo se in Templi angulo componebat ad orandum, flexis genibus, oculis in terram deiectis, corpore penitus immoto dum Vesperæ finirentur. Genuentis aliquis domi Nobilis (eâ re sæpius exploratâ) Iuvenem non sine delectatione observabat, & Sacerdotem quemdam nostrum, ciuem suum, ita percunctatur: *Quâ causâ,* P. Ignatius Lomellini. mi Pater, existimas me huc venisse? Opinor, inquit Sacerdos, Vesperarum causâ. *Quinimò,* ait ille, Iuvenis illius videndi causâ, qui omnibus huc Festivis ventitat, eoque se loco tenet orans, curvatis genibus, quietè, modestiaque tantâ, vt nec oculos semel attollat. Equidem de eo tam excellentem opinionem habeo, vt credam esse Adolescentem sanctum: nam cùm in sacrâ Æde hos videam

Musica

Quo corporis habitu oravit in Templo.

P. Ignatius Lomellini.

Musicæ audiendæ attentos, illos huc illuc circumspicientes, alios confabulantes; solus hic Iuuenis orat eâ modestiâ, eoque corporis habitu, vt sanctus mihi esse videatur.

*Modestia
Ioannis.*

Hanc oculorum verecundiam cum insigni morum gratiâ moderationeque actionum omnium, seu staret, seu incederet, seu rem aliam ageret, coniungebat: planè vt nonnulli dicerent, scriptas ab IGNATIO Modestix Regulas, si interijssent, vel in Ioanne denuò potuisse reperiri; adeò Modestix ipsius imaginem præ se ferebat. Aiebant alij, etiam si cælestis aliquis genius, humanâ carne vestitus, hominis membra induisset, non fuisse maiore modestiâ vsurum: tanto ad eam studio Ioannes incubuerat, vt & summo in gradu obtineret.

Afirmavit aliquando sodali cuidam suo, timere se, ne in modestix leges peccaret, plus nimio demittendo caput; obtestatus vt aduerteret an aliquando erraret, moneretque, pollicitus seriò se esse emendaturum. Quod verò certius perfectissimæ laudis huius argumentum, quam quòd commilitones ei nomen imposuere Patris Modesti, ac Modestissimi, tantaque cum voluptate spectare sint soliti per atrium transeuntem redeuntemque è scholâ, vt eo spectaculo sæpiùs retinerentur? Adeò certè modestiâ eius excitaban-